

Hanc pietas statuam posuit positamque tuetur,
Aevo mansura ut stent monumenta viro,
Anglia quem genuit, Frisias qui vectus ad oras
Teutonicas vero reddere ^sæcra Deo
Edocuit gentes, subvertere ²lucos ³primus ¹
Fictorumque ausus sternere fana Deum.
Praeclaris ortus proavis locuplesque peculi,
Divitias spernit; nil sibi fama valet:
Sed majora petens, gentis prolisque misertus,
Et patriam linquit, linquit et arva patris.
Caelitus infixam mentem non jussa paterna,
Non matris lacrymae aut flectere vota queunt.
Restitit immotus cunctis coeptumque laborem
Continuans fortis, grande peregit iter.
Teutonicas visit silvas, ubi nulla securi
Dentibus aut serrae robora laesa sonant.
Vicus erat nullus, non urbs, non oppida; quidquid
Conspiceres oculis, nil nisi silva fuit.
Regula vivendi nulla est, dux sola libido,
Effusi mores religione carent.